



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Lucianus M. 7. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

26 VITÆ SANCTORUM. 7. Ian.  
volvere Domini Iesu; confitere scelera, de-  
tergere vulnera, reatum accusa, sponde con-  
versionem, pete veniam, ut plenam conse-  
quaris indulgentiam. Laur. Iust. in ser-  
monib.

S. LUCIANUS M. 7. Ian.

POSSUMUS hodie ignoscere Samosatæ,  
quando maximum probrum ingenti  
decore obtuit, & LUCIANUM dedit,  
qui non jam rideret cælum, sed moreret-  
tur pro cælo. Duodennis puer poterat  
tamen pater dici, cum hereditatem pa-  
ternam jam tunc pauperum prædem fe-  
cisset. Mox inter cœnobitas adscrip-  
tus, & Sacerdotio initiatus, Antio-  
chiæ ludum literarium aperuit. Miner-  
val pauperibus cessit, libros Christianos  
restituit, & sacra volumina, quæ du-  
dum superstitio corruperat, ad Hebrææ  
linguæ regulam censuit. Sed Maximia-  
nus non nescius pietatem Christianam  
non posse rectius quam cum musarum  
lacte, literis inquam, instillari, ad pæ-  
nas magistrum tam sancti ludi vocat;  
quod tamen vel vultûs majestate meliora  
persuadere LUCIANUS diceretur, non  
nisi velatis oculis huic impius Agamem-  
non locutus est. Promissis primò ingen-  
tibus in martyrem pugnavit, tum in  
cippum injecit, post in testarum fragmi-  
na. Ultimò fame longâ ad deditiorem  
com-

compellere est aggressas. Interea sacrificare constituit LUCIANUS. Mirantibus, qui id fieri posset, discipulis, cum aræ mensa abesset, Vos, inquit, in orbem me cingite, & templum eritis; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit. Mox ad ingressos terrores clamat, *Christianus sum*, & subinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum, saxo dexteræ appenso. Verum truncum primo Delphin, semper hominum, sed martyrum præcipuè amans in litus extulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferri, brachioque jungi visa est. Nos etiam manum tam doctam pro meritis laudemus, si ad nos Musæ manus illius stilum attulissent. *Surius.*

*Corpora nostra aptemus in vitam Dei hostiam, ut sit fides vera, pura conscientia, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas nostrum semper comitetur incessum, S. Pet. Chrys. h. 109.*

## S. RAYMUNDUS CONF.

7. Ianuarij.

**R**AYMUNDUS nobili loco in Hispaniâ natus, cum lacte MARIAM imbibit. Ea deinde pietas cum puero crevit. Nam & in mundo adhuc cum age-